

G.R.
430
15

II m
1158

REI NUMARIAE E MEDIO AEVO SPECIMEN



QVOD HONORI
NOBILISSIMORVM IVVENVM
QVI AD D. XXI. MARTII
E CATHEDRA GYMNASII NOSTRI
SOLEMNITER DICENT
SVOQUE
IN BONARVM ARTIVM ET LITERARVM
PATRONOS AC FAVTORES
QVOS NOBIS AVDITORES EXOPTAMVS
OFFICIO
D. D. D.
GODOFREDVS SCHWARZ
GYMNASII RECTOR.

OSNABRUGI, TYPIS KISLINGIANIS
CICLOCCXLVII.

BIBLIOTHECA
APONICKAVIANA



REI NUMARIAE
E MEDIO AEO
SPECIMEN

QVOD HONORI
NOBIS SIMORVM TAVENAM
QVAD D. XXX MARCHI
E CATHEDRA GYMNASII NOSTRI
SOLLEMNITER DICENT
SVOLE
IN BONARVM ARTIVM ET LITERARVM
PATRONOS AC FAVORITES
QVOS NOBIS AVDITORES EXORTAVAS
OFFICIO
D. D. D.
GODFREDAS SCHWARTZ
GYMNASII RECTOR
OSNABRUGI. IULIA RIBINGIVNS
CIVICISXVII



umum prolatum, eumque duplēcēm,
ipſi poffidemus. Aeneus uterque eſt,
eiusque, ad quam typum noſtrum exi-
gi curavimus, magnitudinis; ſed artifi-
cii diverſi. Alter enim figura plāna,
alter cochleari, de industria, excuſus ap-
paret. In cochleari, ſedentes, in appoſitiſ ſellis, Re-
ges duo partem concavam occupant, virgo deipara
convexam. Nulla ceteroquin re alter ab altero di-
fert; niſi quod ſculptura cochlearis caelum non nihil
referat obtuſius, ut, utrumque diverſa ſub incude ſu-
daffe, dubium ſit nullum. Typum expositum, e plā-
nae figurae archetypo, effingi locavimus.

Idem vero numus viſus nobis eſt, vice plus ſimpli-
ci. Schemnitzi primum, in Hungaria, in cimeliis
Illiſtris politiſſimique viri, SAMVELIS MIKOWINY, Au-
gustaē Reginae mathematici; qui & ad Regis, a dex-
triſ collocati, latus me monuit, legendum eſſe, REX
BELA. Sed, oppoſiti lateriſ ſcripturam Oedipum de-
ſiderare, ajebat; quod, praeter vocabulum REX,
nihiſ a ſe, nihiſ ab aliis, quos in conſilium adhibuit,

exsculpi potuerit hactenus. Ego vero characteres ob-
servatos, primum in memoria, mox in charta, dili-
genter notare, animumque, statim ac numisma vidi,
inducere, compendium quoddam scribendi nominis
alicujus familiaris, & usu triti, characterum involucris
contineri. Domum & ad musas, ex itinere, meas
redux, manuscriptas chartulas, quas in promptu ha-
bui, antiquas, monasticis, ut audiunt, literis exaratas,
excussi, visurus, an nominis, idque proprii, scribendi
compendium, nostro invenirem respondens. Neque
operam lusi. Nomen namque Stephani, quo nihil
ad rem propositam mihi accidere potuit exoptatius,
ita subinde a scribis barbaris contrahi observabam, ut,
ad initiales duas, ultimam vocis literam, terminatio-
nem illius significaturi, adjicerent, transversariam de-
nique, in summitate, virgulam illinerent. Verbi gratia,
pro Stephanus, Stephani, cet. scribebant S̄s, S̄n, cet.
Haud difficile hinc nobis fuit, veram aenigmatis sol-
vendi rationem eruere, inque opposita ἵπηρεων, post
vocabulum REX, pro signis S̄S, legere STEPHANVS.
Ilicet! S initiale inversum est, perinde ac R
initiale, in latere opposto; id quod mirifico caelato-
ris indulgendum censerem ingenio, nisi in numulo
quodam meo argenteo, LADISLAI I. Hungariae Regis,
quem SANCTVM cognominant, eadem elementum
prius forma expressum, notarem. An & numuli
istius fabricator deerravit? Fieri quidem potuit.

Refert itaque numus noster expositus, in disco
anti-

antico, duo, in duobus soliis arcuatis, confidentes
Reges, redimitos corona, triplici cruce conspicua:
sustinentes dextra manu sceptrum, sinistra globum
regium, summa crucicula exornatum. Quam disci
faciem si, a regulari situ, sinistrorum dimoveas, sic,
ut linea erecta, quae duplex solium media discrimi-
nat, projectis hinc illincque finibus, cadat, in ambitu
quidem inferiore, ad latus regiae imaginis unius, le-
ges, REX BELA. Litera initialis R, ceu praefati
sumus, pedibus sursum est conversa: litera vero finalis
A, forma quidem Romana, sed latius diducta, lineo-
laque in apice operata, repraesentata est. Sic mona-
chis scriptoribus, literas Romanas elaborare, usus erat,
an deformare. In ambitu vero superiore, ad latus
regiae imaginis alterius, leges, REX SCS, id est,
STEPHANVS. At vide, ne crucem globi regii, in-
ter E & X, vocis REX, pro litera, in archetypo, ac-
cipias, X duplex finges, inque legendo crucem, ob-
duplicem crucem, tibi figas. Cetera hujus disci or-
namenta explicare, non adtinet; nihil enim singulare
habere videntur ac proprium. Vnam tamen coro-
nam oculis intentioribus considerasse, operaे pre-
mium fuerit. Quod enim linea striata, tribusque
fastigiata crucibus, capitibus incumbat Regum, clau-
sam id ipsum coronam notare, puto: quod a linea
transversaria, secundum capitum coronatorum tem-
pora, lineae duae aliae, striatae & ipsae, inque globu-
lum desinentes, decurrant, aureas id catellas, cum

A 3 extre-

extremis gemmis, referre, autumob. Quae ut rectius intelligas, consulas velim, qui coronam Hungariam, data opera, delinearunt descripséruntque, PETRVM de REWA (*), MARTINVM SCHMEIZEL (**); quibus cum confer, si placet, conjectationes & rationes nostras, annis jam abhinc septem, typis exscriptas (***)

In disco altero, sedentis, puerumque Iesum, ulnis sinistris, amplexantibus, virginis deiparae icona exhiberi, ipsa ejus ^{enit. p. 200.} SANCTA MARIA, dubitare nos non patitur. Et certe, quidvis potius, ex caeli indocti ductibus, quam virginem deiparam, extricaveris, nisi artifex spectatores solerter praemonuisset, quid sua sibi effigies ista velit. Erat, qui lilyum, in dextra virginis manu, sibi visus est deprehendisse. Discri-
men, re vera, a regiis, alterius disci, sceptris notare, licet. In his enim linea, e Regum dextris excurrens, cetera semper aequalis ac sui similis, parte superiore, globulo terminatur. Non eadem lineae, e dextra virginis emissae, est forma; folio enim oblongo, eique leniter in apicem convergenti, ad extremam partem, proprius accedit. Transversariae praeterea lineae fines, in sceptris regiis, deorsum inflectuntur, nec re-
flectunt.

(*) PETRVS de REWA, De monarchia & sacra corona regni Hungaria, Cent. VII, pag. 141, seqq.

(**) MART. SCHMEIZEL, De coronis, eam antiquis, quam modernis, pag. 205, seqq.

(***) GABR. DE IVXTA HORNAD, Initia religionis christiana inter Hungaros, ecclesia orientali adserta, pag. 42, seqq.

flectuntur. In insigni deiparae, inflexi deorsum, sursum denuo reflectuntur, ifolii vibrati, cum flores se totos explicaverunt, ad instar. Et nobis igitur lilyum, in dextra virginis manu, potius arridet, quam sceptrum. Si multo plura, ad liliū imaginem animo concipiendam, requiras, Iesulum, in ulnis sinistris requiescentem, contemplare, aequique bonique tenuem artificis Mineryam consule. Cui, de lilio, sententiae robur forte aliquod conciliare poterunt MATTHIAE CORVINI, Hungariae Regis, numi non nulli aurei; in quibus, ex adverso virginis Mariae, lilionum ramus, flore amictus tergeminus, cernitur; cuius generis ipsi nos innumum habemus. Quid, quod, ex pictorum & caelatorum ingenio, lilia alba notae censeantur virginitatis. Due, circa caput virginis, crux expressae satis sunt: sed, quas nihil in recessu habere, arbitror. Circulus vero, verticem capitis ambiens, nimbum notat, proprium deorum gentium, hominumque inter Christianos sanctorum, ornamentum. De cuius origine cum varia tradant alii (*), nobis, saltim quod ad morem adtinet christianum, id, quidquid est cohonestamenti, ex sanctissimae religionis nostrae disciplina arcessendum, videtur. Sanctos enim homines, ad dei maximi concilium adscitos, glorificato corpori Christi, corpore, redditum iri similes, apostolus docet (**):

(*) vide IACOBI a MELLEN Seriem Regum Hungariae, e namis annis pag. 3. seq.

(**) Philipp. III. 22. XXXI. Apoc. 3. (**)

transfigurationem autem Christi domini, in monte Thabor, scenam futurae fuisse gloriae illius, mens christianorum doctorum est omnium. At facies transfigurati Christi resplenduisse, commemoratur, ut sol (*). Adde, quae libri divini, de fulgente magni illius sanctorum, populi Israelitici, e dura Aegypti servitute elapsi, ducis facie (**), memoriae prodiderunt. Hujus itaque splendoris indicem pictores & caelatores esse voluerunt circulum, jam totum sanctorum caput, jam verticem ejus, ambientem, crinemque plerumque spargentem radiorum. Denique, notare juvat puerum Iesum, haerentem in laevo virginis matris brachio. Recentiore namque aetate, non quod pueri in faba invenisse sibi videbantur aliqui, quod, inde a MATTHIA II. Austriaco, numi Hungariae Regum omnium Iesum in sinistro; ante Matthiam hunc, in brachio dextro, repraesentent. Fuit ea propter Transilvaniae olim Principibus, Hungarisque, contra Regem suum, ineunte hoc seculo, conspiratis, propemodum religio, suis, puerum Iesum, in numis, ad matris dextram postliminio reponere. At at! in brachio sinistro numus quoque noster Iesulum collocat. Nec desunt varii generis sigilla domestica, numique aurei atque argentei, Regis MATTHIAE CORVINI, puerum Iesum, in siistris matris virginis amplexibus, conspiciendum praebentes. Sunt & hujus notae nobis aliquot. Imo possidemus, Principis GABRIELIS BETHLENII, Transilyanicum

(*) Matth. XVII. 3.

(**) Exod. XXXIV. 23. (**)

aureum unum, vidimusque, in refertissima gaza b. GODFREDI THOMASII, *Iacobi filii*, poliatri quondam apud Norimbergenses celebratissimi, quo nemo vir vixit melior, nemo obsequendi aliorum studiis appetentior, GEORGII RAK. I, Pr. Trans. aureum alterum, ad eandem utrumque excusum formam, quae puerum Iesum in sinistra matris ostendit. Sed, in posterioribus duobus caelandis, artifices lapsos esse, existimaverim.

Expromsimus haec tenus, quidquid de numi nostri forma, magnitudine, materia, figuris, ad dicendum habuimus, idque occasione illius, quem in cimeliis Illustris MIKOWINY, Schemnitzii, primum vidimus. Cum accessissim Posonium, numum eundem nobis, protractum e theca numaria RR. PP. Iesuitarum, intuendum contemplandumque proposuit Adm. Reverendus P. CAROLVS PETERFY, qui, quantum casca rei Hungaricae monumenta congerendo valeat anathematizandoque, magna illustrissimi nominis sui fama jam demonstravit, emissio vegrandi conciliorum Romano-catholicae ecclesiae, in Hungaria, volumine

in dias luminis auras.

Fecit & numismatis nostri videndi copiam nobis Illustris vir, ENGELBERTVS de KEMPELIN, regii in eadem urbe vectigalis, tricesimam dicunt, praefectus primarius, cum abundantissimam supellecilem suam numariam, inusitata plane, sed quae praestantissimo viro propria est, humanitate benevolentiaque, explicasset. Clarissimus denique, nobisque olim amicissimus,

B

vir,

vir, IOHANNES TOMKA SZASZKY, suum, quem habebat
unicum, postquam monstravit, rara liberalitate, no-
strum quoque esse jussit. Planae is figurae est. Vien-
nae autem Austriae, celebratum tam a singulari hu-
manitate, quam summo in elegantiores literas studio,
Illustrēm virum, MAXIMILIANVM WOLFGANGVM MANNA-
GETTA, Celsissimi S.R.I. Principis, Archiepiscopi Stri-
goniensis, per illud tempus, archiatrum, cum salutas-
sem, tum, multis aliis rebus, eximiam viri humanita-
tem comitatemque sum expertus, tum, liberali ali-
quot numorum munere, ad gratum animū publice
declarandum provocatus; in quibus fuit alter e nostris,
formae cochleatae. Vnum praeter ea, cochleatum
pariter, Illustris MANNAGETTA in suis retinuit cimeliis.
Postremo Gotthae, in Serenissimi Principis gazophy-
lacium, cuius fama orbem totum est pervagata, favo-
re Illustris ornatissimique viri, HERMANNI VLRICI a LIN-
GEN, nunquam, pro sua in nos benevolentia satis praed-
dicandi, admissus, unum & hic adspexi. Omnes ex
aere, quos vidimus, constant: omnes parem magni-
tudinis modum servant: in omnibus discum utrum-
que una eademque *servata* exornant; ut nunquam ta-
men non adpareat, singulos in diversis artificum offi-
cinis, formis saltim diversis, conflatos esse. Sed co-
chlearibus duobus, quorum memini, demtis, ceteri
omnes planae erant figurae.

Illa *πηγασων*, REX BELA, & ex adverso ejusdem
latusculi, REX, nemini fere obscura fuerunt. Signa
vero

vero ultima, ScS, solus Illustris KEMPELIN, a filio suo
legi, Stephanus, ab eodemque singulari numrum hunc
commentario illustratum iri propediem, commemo-
ravit. Salutato, Viennae Austriae, Praenobilissimo
KEMPELIN, filio, egregii ingenii ac doctrinae homine,
vidi apud ipsum, quam scribere de hoc argumento
tunc incepit, commentationem, quin & paelectam
audivi, elegantique viri latine scribendi facultate miri-
fice sum delectatus. Eo tota sententia ejus collinebat.
Legendum esse, REX STEPHANVS. Significari au-
tem STEPHANVM, Hungarorum Regem primum,
sanctorum post ea ordini, a primitiva ecclesia Hunga-
rica, adscriptum. Si enim, inquit, LADISLAI SANCTI
memoriam tam religiose coluerunt Hungari, ut, ad
seculi septimi decimi initium, suis effigiem ejus in nu-
mis inscriberent, vero dissimile nequaquam videri,
quin STEPHANI quoque SANCTI imaginem reverenter
coluerint, suisque eam in numis antiquitus expresse-
rint. Quod autem sanctus Rex sinistrum recentioris
alterius Regis latus stipet, tam sacrum, quam civilem,
contra cultum, sanctitati & majestati primi religionis
juxta ac regni fundatoris, a nepotibus Regibus, ultro
lubenterque delatum, id vero, ab errore caeli artificis
indocti profectum, oculos ignoscere, quam scrupulo-
sius minutiusque omnia cognoscere, pernices postulare.
Expedivit, ni fallor, & istam rationem, cur SANCTVS
STEPHANVS Rex lateri viventis tunc Regis BELAE con-
glutinetur? cur non, quem ad modum sanctos homi-

nes alios videre licet repraesentari, solus & sine socio
collocetur? Quantum enim immortalitas vitae cadu-
cae, consummata beatorum innocentia viatorum in-
choatae, brabeum coeleste terrestribus summorum
Regum sceptris antistat, tantum coelicolas inter &
terrigenas discrimen intercedere, omni aetate credi-
tum, signisque nunquam non fuit adumbratum. At-
que hac, tam veterum, quam recentiorum, consuetu-
dine ego quidem adductus, non solum toto coelo dis-
crepantium hominum combinationem, sed aliud
quiddam etiam studiose, censeo, observandum. Nul-
lam, puta, prorsus notam adesse, ex qua sanctum Re-
gem, diu inter coelites laetis sepe gaudiis explentem ac
triumphantem, ab altero Rege BELA, in humanis, id
temporis, agente, dubiasque fortunae vices, quisquis
ejus nominis fuit, persentiscente, possis discernere.
Verbo, insignia, ac totum utriusque Regis habitum,
adspice, duosque, qui una regnaverint, Reges quin te
spectare profitearis, committere nunquam potueris.
Suo vero haec nunc loco relinquimus: votum adjun-
gimus duntaxat, ut limatissima KEMPELINI commen-
tatio, quam inchoatam vidimus, quamve non sine
voluptate perlegi audivimus, si nondum emanavit,
lucem aliquando adspiciat, reique numariae curioso-
rum oculos atque animum pascat. Et, sicuti insignis
elegantissimi viri eruditio facit, ut credamus, habitu-
rum eum aliquam forte qualiumcunque addubitatio-
num nostrarum rationem, ita ab ejus humanitate cer-

to nobis pollicemur, futurum, ut in meliorem partem accipiat libertatem, qua sententiam ipsius ante cum orbe erudito communicare sustinuimus, quam ab auctore, quod quidem nobis constet, in lucem proferretur.

Atque haec eo, potiore parte, comparata fuerunt, ut grati ac publice celebraremus, & quorum liberalitate tenues nostros loculos auximus, & quorum ex sermonibus doctis profecimus. Ac licet genuina obscuriorum characterum illorum, Stephani nomen coarctantium, lectio, ex antiquis chartulis nostris, quas adhuc in manibus habemus, olim nobis fuerit aperta, suffragium tamen Kempelinianum nos vel confirmavit, vel certe oblectavit. Ecquid vero de numo nostro faceremus, cui eum BELAE Regi tribueremus, quem lateri ejus Regem STEPHANVM comitem daremus, id nos, cuin doctissimi Kempelini alloquo comitateque frueremur, ignorasse, fatemur, cum ignarissimis. Venit vero problematis resolutio, post illa, nobis nec meditantibus in mentem, ut fit in his, quae non ratione, sed dextera opitulante memoria, colliguntur; eamque brevibus jam exponam, non dubitans, quin vel ~~ne~~ illam sim probaturus lectoribus.

Sententia nostra non alia est, quam, quae ex ipsa rium caelatura non potest non contemplantium illum oculis animoque ingenerari. Sedentes in uno disco Reges, alter ad latus alterius, duo sunt Reges, pariter atque insimul regnum moderantes. Is, qui dextrum

latus occupat, eminentioris, si non potestatis, dignitatis saltim fuerit, aut ordinis. Numum esse Hungaricum, BELAE Regis nomen sufficit ad demonstrandum. At cuius demum Belae? cum quatuor, hujus nominis, in Regibus suis, numeret ac revereatur Hungaria. Ejus nempe, quicum Rex alter Stephanus regni habendas simul tenuit. BELA is est QVARTVS: STEPHANVS vero est filius ipsius, in serie Regum, QVINTVS; quos, divisis imperii finibus, annos plus minus decem, communiter regnasse, primum indicium fecit STEPHANVS de WERBOECZ (*): expresse vero docuit sagacissimus SAMVEL TIMON, e Soc. Iesu (**): vir denique celebratissimus MATTHIAS BELIVS, prolati, e tabulario Strigoniensi, pactorum, patrem inter & filium, literis, ita confirmavit, ut nihil ad rei maxime memorabilis, omnibusque, de rebus Hungariae, superiorum seculorum scriptoribus ignotae atque inexploratae, fidem reliquum faceret (***) . Numos itaque ex historiis explicandos esse, verissime adfirmant multi. Nam, nisi laudati viri consociatum BELAE patris cum filio STEPHANO imperium, ex annalium vetustate, eruisserent, nonne, plus quam Sphingis, numus noster mansisset aenigma? Ex numis tamen historias vicissim illustrari,

dubi-

(*) STEPH. de WERBOECZ in *Tripartito juris consuetudinarii regni Hung. opere* P. II. tit. 14.

(**) SAM. TIMON in *Epitome chronologica rerum Hungaricarum*, ad a. 1261. seqq. p. m. 34. seq.

(***) MATTH. BELIVS *Hungariæ antiquæ & novæ* T. I. pag. 117. seqq.

dubiasque haud raro confirmari, vere non minus contendunt alii. Socium BELAE Regis IV. & STEPHANI V. regnum nulla quidem, post celeberrimi BELII operam, probatione indiget, non ingratum tamen rei antiquariae studiosis acciderit, numi nostri imagine illustratum videre. Sed monetae genus pluribus examinare, vel in res Principum, quorum auspiciis cusa est, liberius excurrere, angusti, quibus studium hoc nostrum circumscriptum est, cancelli non permittunt, in praefens.

Nihil hinc restat, quam ut scholarum nostrarum PATRONOS ac FAVTORES, in quorum benevolentia, amore ac studio musae nostrae acquieverunt adhuc, quorumve de nobis nostrisque laboribus judicio magnopere etiam nos extulimus, per officiose per amanterque precemur, velint nobilissimos ornatissimosque juvenes, qui, proximo die XII. Cal. Aprilis, e cathedra gymnasii nostri, solemniter verba facient, eadem, qua soliti semper sunt, bonitate exaudire atque humanitate. Quatuor cum sint, qui profectuum suorum navataeque nobis, in secundo ordine, industriae specimina exhibebunt, singuli tamen ita dicent, ut, auditorum suorum facilitate patientiae haudquaquam abuti voluisse, videantur.

ANTONIVS FRIDER. BENECKE, *Hausberga-Mind.*
qui, anno abhinc praeterito, latine peroratus erat, nisi vis morbi honestissimos ejus conatus interturbasset; idem ille nunc, *Eloquentiam, in oratore sacro, adeo nihil habere vixit, ut etiam necessaria ei quam maxime sit*, oratione germanica, probabit.

IOHANNES ZACHARIAS MOESER, *Nostras, Principem, verborum suorum servum, vere dumum Principem dicendum esse glorioissimum, oratione latina, demonstrabit.*

FRIDERICVS RVDOLPHVS HERTEL, *Dissensis,*
qui, exemplo, albis jam corvis, medicae inter artis, ad quam animum adjectit, cultores & sectatores, rariore, graecas literas adamavit indefessoque

OKTm 1158

X3379274

que adhuc studio coluit, Linguae graecae praestantiam & utilitatem, veribus latinis hexametris, praedicabit.

IVSTVS CHRISTIANVS BLOCK, *Badbergensis,*
Reip. literariae, nostrorum temporum, felicitatem, carmine germanico,
celebrabit: vel, ut dicam, quod res est, satyram recitat.

Videte, juvenes optimi, animae mihi amabilissimae; amo enim vos ac diligo, qui mihi officiis obsequii, modestiae, verecundiae, ex asse, satisfecistis: videte, inquam, quanta de vobis, publice ac propalam, sum pollicitus. Nolite vero existimare, responsuros vos auditorum vestrorum judicio, responsuros meae necessariorumque vestrorum, de vobis, exspectationi, nisi reliqua etiam vitae vestrae studia, & mores omnes, ita conformaveritis, ut, quae de vobis sum pollicitus, judicio potius, quam immodico in vos abreptus amore, pollicitus esse videar. Quod cum omnibus vobis est faciendum, tum haud scio, an ulli magis, quam tibi, MOESERE dilectissime. Habes enim conversos in te civium omnium tuorum animos atque oculos, avorum tuorum virtutes commemorantes, vivaque Illustris patris tui, quantum maximis provinciae nostrae honoribus, tantum exquisito literarum cultu, paeclarissimumque in rem. meritis, conspicui, imaginem contemplantes. A quorum vestigiis aberrare, turpissimum semper duxeris. Sed neque vobis, juvenes charissimi, BENECKE & BLOCK, domestica desunt imitandae parentum avorumque vestrorum laudis integratissimae exempla. Patres enim, quos deus vobis, familiisque vestris ornatussumis, diu salvos ac sospites servet, de suis quisque coetibus paeclare merentur adhuc: quod vero ayus tuus maternus, charissime BLOCK, ad posteritatem etiam ingenii egregiaeque doctrinae suae monumentum posuit, quoties contemplabere, toties vellem cogites, non his illum discendi eruditissimumque nomen comparandi usum esse praesidiis, quae tu, carmine tuo, recensibis, & ut dignae sunt, deridendas explodendasque propinabis. Tua denique, charissime HERTEL, egregia indole, fide, industria uti mirifice semper sum delectatus, ita augurari non dubito, si in hoc studiorum, quem adhuc tenuisti, tramite perfisteris, impigreque perrexeris, habiturum te olim, quod de honestissimis tuis conatibus tibi impense olim gratuleris. Feliciter!

P.P. Osnabruigi d. 19. Martii. a. CIOCCXLVII.

motus manu h[ab]et alia se [**] vix nisi sidle, elegantia, impeditus tamen rursum a se illi tempore, etiam in sociali, si in etiollis, hospitis
sup

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



REI NVMARIAE
E MEDIO AEVO
SPECIMEN



QVOD HONORI
NOBILISSIMORVM IUVENVM
QVI AD D. XXI. MARTII
E CATHEDRA GYMNASII NOSTRI
SOLEMNITER DICENT
SVOQVE
IN BONARVM ARTIVM ET LITERARVM
PATRONOS AC FAVTORES
QVOS NOBIS AVDITORES EXOPTAMVS
OFFICIO
D. D. D.
GODOFREDVS SCHWARZ
GYMNASII RECTOR.

OSNABRUGI, TYPIS KISLINGIANIS.
CICIO CI CIC
XVII.

